

B

AF

EXERCITATIO
M E D I C A
VIGESIMA QVARTA:

*In alma Argentoratensis Aca-
demiâ proposita:*

PRÆSIDE
MELCHIORE SEBIZIO
juniore, Doctore ac Pro-
fessore Medico :

Respondente
M. PAVLO THOMA
ARGENTINENSI.

ARGENTORATI,
Typis exscribebat Joannes Andreæ.

Anno M. DC. XXIV.



VOBIS

VIRI NOBILES, CLARISSIMI, EXPERIENTISSIMI,
ordinis Asclepiadæ trigasplendidissima,

Dn. IOHANNES RVDOLPHE SALTZMANN,
Medicinæ Doctor excellentissime, ejusdem inclytæ no-
stræ Vniversitatis Professor celeberrime, ac Poliater
eminentissime;

Dn. IOHANNES KIEFFER, itidem Medicinæ ac Phi-
losophiæ Doctores splen-
&c didissimi, Practici almæ

Dn. ISAACE HABRECHT, nostræ Reipub. felicissimi,
Dn. Mecenates, Preceptores ac Patroni multis nomini-
bus atatèm suspiciendi,
In debite observantia p[ro]moto[rum] ororum;

TIBI

verò,

VIR POLITISSIME AC PRAESTANTISSIME,
Rerūq[ue] Politicarum peritissime,

Dn. IOH. IOACHIME FRANTZ, Primarie Reip.
nostræ civis, Fautor plurimū colende,
In meriti honoris ac cultus symbolum;

Tandem

TIBI

Dn. M. IACOBE BARTSCHI, LAVBA-LVSATE,
Poëta Laureate Cæs. Philiater solertissime,
Fautor ac Amice honorande,

In sinceri amoris notam

Animo observantissimo, colentissimo ac studiosissimo,
Exercitationem hancce Medicam XXIV.

Offerre, inscribere ac dicare lubenter volui,
quia merito debui,

M. PAULUS THOMAS, Resp.



PROBLEMA I.

AN pulmo moveatur per se, propriōe ac naturali motu, qui ab insito principio proficiscatur? Ita quidem putat Averroës. Verum secus suadet sensus & ratio. Nam quod propriā & insitā vi moveatur, id etiā alio quiescente moveatur: quoniam à nullius motu dependet. At pulmo quiescente thorace nunquam moveatur, velut astrologia monstrat. E propriā & insitā vi non moveatur. Ii. si pulmo moveatur a principio interno, utiq. etiam thorace detracto moveretur: quemadmodum calvā ablatā cerebrum moveri videmus: & remotis costis cor pulsare animadvertisimus. At consequens rursum astrologia redarguit.

I I,

Vtrum pulmo motus sui principium accipiat à corde? Ajentem defendit Aristoteles lib. 3. de part. anim. c. 6. & lib. de Respirat. c. 4. & ult. Nos pulmonem quidem propter cor moveri concedimus, ut ejus calor ventiletur: quo nomine etiam cor-dis flabellum & ventilabrum à philosophis appellari solet. Sed cor principium efficiens motus pulmonis esse inficiamur. Tale enim si esset, utiq; pulmo moveretur ad motum arteriarum, qua motum suum cordi ferunt acceptum. At consequens refutat visus & tactus. Deinde, quia motus pulmonis pro voluntatis nostræ arbitrio aliquandiu potest intermitte, rursusq; excitari: potest etiam prohibitu nostro variari in celeritate & tarditate, raritate & frequentia, magnitudine & parvitate, &c. Id quod facere nobis minimè liceret, si motus pulmonis à corde proxime dependeret. Foret enim planè naturalis, neq; obsecundaret voluntati. Tertio, quia motus pulmonis cefare potest, persistente pulsu cordis: id quod in cohibitione spiritus appetit. At si ortum duceret

A 2 à corde

à corde, fieri non posset, quia moto principio pulmo moveretur.
Quarto, quia pulmo cordis motum minimè mitatur, quemadmodum arteria. Multò quoq; tardior est quam cordis: ita quidem, ut respiratio una tres quatuorve cordis pulsationes adæquet.

I I I.

Quodnam ergo motus pulmonum principium? Galenus scribit, illud extra pulmonum substantiam esse: ponitq; quadruplex: facultatē scil. animalem: caput, sub quo inauduntur cerebrum & nervi: pectus, sive thoracem: & musculos thoracem moventes. Ex quibus quedam sunt principia remota: ut virtus animalis & caput: quedam propria, ut thorax: quedam proxima: ut musculi thoracici. Virtus enim capiti insidens per nervos musculos thoracis movet, cuius motū postea pulmones sequuntur. Hi namq; ex se omnis sunt motus expertes: continenter autē à thorace moventur: quippe cùm thorax contrahitur, contrahuntur & pulmones, undiq; compulsi, atq; compressi: quod expirantibus nobis & loquentibus usuvenerit. Cùm vero thorax dilatatur, in omnē quoq; partem pulmones diducuntur. Hoc placitum Galenus tūm alibi, tūm præcipue l. 6. de us. part. c. 2. 10. & 17. l. 7. us. part. c. 9. l. de instr. olf. c. 5. l. de util. respir. c. 5. l. de caus. respir. l. 5. de loc. aff. c. 3. l. 1. de diff. resp. cap. 4. & 18. & l. 2. de caus. sympt. c. 4. tradit. Motus ergo pulmonis accidentarius est, sequiturq; principium exterorum, motum scil. thoracis, ne vacuum, a quo natura abhorret, concedatur. Ratio Galeni est: quia nullam invenire licet dispositionem, in qua thorax quiescat: pulmo autem moveatur. Huc accedit & experientia, quae Galeni decreatum confirmat. Nam vulnerato thorace, ut aer ingredi posse, immobile esse solet pulmo. Quid ita? quia aer se in insinuat, vacuumq; spatium replet. Itaq; opus non est, ut pulmo thoracis motum ad fugiendum vacuum sequatur. Historiam hujus rei recent et elegantem Archang. Piccolhom. l. 4. anat. lect. ult ad quam lectorem remittimus. Idem Author ibidem historiam aliam narrat, quā probare contendit, pulmonem non proprio, sed alieno, & thoracis quidē motu moveri. Vidi, inquit, in vitro mihi familiarī, qui è vitā migravit, totum pulmonem costis omnibus undigess.

undiq; tenacissimè, sine tamen difficultate respirandi, adhærescētem. Ex quā historiā sic licet argumentari. Pulmones in isto viro aut libere movebantur & motu proprio: aut alieno, motu scil. thoracis sese dilatantib; & contrahentib;. At proprio moveri non poterant: quia undiq; tenacissimè costib; adhærebant. Movebantur ergo alieno, nimirum motu thoracis. Hoceum se attollente, aëre implentur fistula pulmonis: & contrahente, rursus deplentur, solitus in modum.

I V.

Sitne pulmonis officium, sanguinem & spiritum vitalem sinistro cordis ventriculo præparare? Hippocrates l. de cord. scribit, pulmonem cordis intemperantiam, h.e. caliditatem, castigare. Plato in Timo consentit, & pulmonem & sūs illius temperandi gratiā conditum monet. Aristoteles l. 3. part. animal. c. 6. & libell. de Respirat. pulmonem spirandi causā datum afferit. Sed respirationem propter cordis refrigerium institutam docet. Galenus l. 6. us. part. c. 2. & 9. nec non l. 7. us. part. c. 5. dicit, pulmonem respirationis & vocis organon esse. Recentiores etiam alios usus addunt: nimirum culcitram esse cordis, & lobis suis cor in orbem complecti, ne vel anterius à sternō, vel posterius à vertebris thoracis, dum movetur, offendatur: alterare item & preparare aërem inspiratum cordi, ut spirati vitali conveniens possit esse pabulum, & apta materia generationis spiritus novi. Nos usus ultimos à neotericis traditos secundarios arbitramur: à veteribus autem propositos primarios. Nam cùm pulmo se dilatat, externum aërem inspirat, pro refrigeratione cordis, & refectione spiritus vitalis. Cùm se contrahit, aërem calefactum & fuliginosa cordis excrements emittit, materiamq; vocis suppeditat. Reldus Columbus l. 11. anat. c. 2. officium comminiscitur novum: Vult enim, sanguinem è venâ cava in dextrum quidem cordis sinum effundi, & in illo attenuari: at non per septi foramina, quæ negat, ferri in sinistrum: sed per venam arteriosam amandari ad pulmones: & in ycta tractari, ut pars in eorum faceat alimoniam: pars in spiritum vitalem sanguinemq; vitalens abeat: sed postea per arteriam venosam in sinistrum

ſtrum ventriculum deducatur, ibi q. ultimam elaborationem atq.
perfectionem acquirat: & tandem per arteriam magnam in omne
corpus distribuatur. Quam sententiam etia Julius Cæsar Aran-
tius in obs. anat. c. 33. amplecti videtur, & contra Galeni opi-
nionem, de sanguinis ex dextro ſinu per ſepti foramina in ſini-
ſtrum tranſuſionē, multa argumenta in medium profert. Ve-
rū Columbi placitum refutant Archang. Piccolhominus l. 4.
anat. lec. ult. & Andr. Laurentius l. 9. anat. c. 6. quæſt. 11.
Rationes Piccolhomini ſunt iſtæ. 1. Piscis ſpiritum vitalem
habent, & pulmonibus tamen carent. E. pulmones non ſunt au-
thores ſpiritus vitalis. 11. Si totus ſanguis in dextro cordis ſinu
attenuatus ferretur in pulmones, tūm pro nutritione eorum, tūm
pro generatione ſpiritus vitalis in pulmonibꝫ, certe tanta deberet
effe vena artioſa, quanta eſt vena cava, in dextrum cordis thala-
mum inſerta. Atqui hec major eſt: illa longè minor. E. totus ſan-
guis e dextro ſinu cordis ad pulmones minimè vehitur: sed tan-
tum illius, quantum pro eorum nutritione ſufficit. Reliqua vero
pars, per poros ſepti e dextro in ſinistrum cordis ſpecum perco-
tatur: in quo ſpiritus & ſanguis vitalis perfectionis charactere inſi-
gnit. III. Ad ſpiritus vitalis generationem locus requiritur
calidissimus. Talis autem pulmo non eſt: ſed cor. E. in hoc ſo-
lum: non in illo ſpiritus iſte procreatur. IV. Spiritus vitalis, qui
ſubtiliſſimus ad ſui generationem locum poſtulat denſum atque
compactum, ut diutius in eo conineri, ac elaborari & perfici poſ-
ſit. At pulmo raris eſt, laxus, mollis, & ſpongie ſimiſ. V. Si ſpi-
ritus prepararetur in pulmone, utiq. inde ad cor per arteriuſam
venam acerivandus eſſet. Atqui cum vas iſtud ſimplici conſet
tunica, propter illius ſanè raritatem, aut totus, aut magna ejus
pars diſperderetur diſſipata, antequam ad ſinistrum cordis antrum
pertingeret. VI. Si ex ſanguine ſpiritus gigneretur vitalis, pro-
fecto coniunctas oporteret eſſe venam arteriuſam & arteriam
venosam, & propagines earum per avenaciorum copulatas. At in-
terjecti ſunt rami arteria aſpera: & ejusmodi avenaciorum non ob-
ſervantur. VII. Si pulmo procrearet ſpiritus vitalem, canales
haberet ex ſe in totum corpus exorrectos, per quos illius fieret di-
tributio.

stributio. At quis anatomicorum eos observavit, aut demonstrare potuit? VIII. *Si pulmo esset effector spiritus vitalis: cor autem distributor: cor serviret pulmoni, et ergo eo ignobilis, quod absurdum.* IX. *Si pulmo ficeret spiritum, sedes foret facultatis vitalis. Statuitur enim spiritus facultatis vehiculum, quod facultatem in certa sede residentem communicat partibus alijs.*

V.

Habentne mammæ in viris aliquem usum? De usu mammarum in mulieribus nullum est dubium. In ipsis enim, inquit Aristoteles l. 4. de part. an. c. 10. mulieres cibum parvulis suis recondunt: quia lactificant. At lacte illis opus: quia solidiore cibo uti non possunt: lac autem ad sanguinis naturam, quo in utero pascebantur, quam proximè accedit. Vnde Galenus l. 14. de us. part. c. 8. illud ex Hipp. l. 2. Epid. sect. 3. menstruo ἀσθεψιν germanum, vocat. Dubium vero hand est exiguum de usu mammarum virilium. Aristoteles quidem l. 4. de part. an. c. 10. ait, factas esse, ut sedem cordis operiant. Quod ipsum quoque Galenus l. 7. de us. part. c. 22. tradit. Verum non videmus, quomodo corpuscula exigua, cordis situm minimè respondentia, sed alterum ad latus ejus dextrum, alterum ad sinistrum positum, tegere cor, & adversus externas injurias tueri valeant? Est enim cor in medio thoracis collocatum, & magnitudine mammillas basce longè superat. De mammis quidem mulierum hoc concedimus: quia totam ferè thoracis anticam partem occupant. Vnde etiam ipsem Galenus loco citato ingenue fatetur, mammae mulieres, cum glandulosam habeant naturam, & magnâ in molem extubent, duo hec officia, tegere scil. & defendere cor, magis præstare cordi, quam viriles. Andreas Laurentius addit 3. alios usus: nimirum ut sint ornamento viris: ut titillationem juvent ac promoveant: ut virile corpus compleant, ne imperfectius sit muliebri. Sed quid ornatus faciant corpuscula illa nigricantia, & instar verrucarum prominentia, non apparent. Quomodo item titillationem promoveant, non liquet; cum ex cute solum & papillis componantur: & titillationis sedem Aristoteles l. 3. de part. an. c. 9. in diaphragmate constituat. Et si maximè titillationem

lationem juvarent; queri tamen posset, cui bono? An ut libido exciteretur? Atqui titillatio molestia potius esse videtur quam voluptas. Si dicas, concessas esse viris, ut eorum corpus persiciant, ne imperfectius sit muliebri: Respondemus, nihil in corpore humano tantum propter hoc evai factum esse: sed omnia vel ad actiones obcundandas, vel ad usus praestandas directa. At quam queso actionem obeunt mammae virorum? Nullam. Quemusum praestant? Nobis certè minimè liquet: ideò, aliorum sententiam avide expectamus. Scimus equidem, docere quosdam, hunc papillarum esse usum, ut centrum sint, in quo nervorum à quinto pari dorsi (unde exquisitus illarum sensus) & venarum fines desinant. Verum haud opinamur, hoc demonstrari ex anatomie posse. Neg, enim syndromen vel nervorum, vel venarum in ijs observamus. Fortè is earum usus est, ut una cum glandulis axillaribus emunctoria sint thoracis, & partium in eo contentarum. Constant enim substantiâ rara, laxâ, & fungosâ, ut superflua excipere humiditates valeant. Referuntur insuper papille ad glandulas: quarum officium est secundum Hippocratem l. de gland. atroseq. tñ πλορεξιν τε ἀλλε σώματο, reliqui corporis redundanties humores afferre. Vnde sepius eas tumere, & pravis imbutas humoribus deprehendimus, adeò ut quandoq. exulcerentur, findantur atq. debiscant.

V.

An in mammis virorum lac generari possit? Secundum consuetum & ordinarium naturae cursum lac in viris non generatur, tribus de causis. I. quia deest materia. Nam cùm viri calidiores sint fæminis, & corpus habeant rarius atq. apertius, sintque mulieribus laboriosiores, multum sanguinis in sui nutritiōnem convertant: multum etiam per corporis spiracula discutiunt: ita ut superfluus pro lactis procreatione non suppetat: quam ob causam etiam menstruis carent. II. quia desideratur efficiens: glandulae scil. mammillares. Haec enim secundum Hippocr. l. de Gland. lactificant. III. quia abest finis. Lactis enim is finis est, ut infantem in lucem editum alat. At lactandi provincia fæminis est

nis est demandata. Vnde Hipp. l. de Gland. mulieres lac habent: viri non habent. Dices Aristot. l. i. hist. an. c. 12. scribere, etiam in maribus lac fieri posse. Et Cardanum historiam narrare de viro 34 annorum, ex cuius mammis tantū lactis fluxerit, ut infantē nutritire potuisse. Respondemus, fieri posse, ut in viris quibusdam frigidioris humidiorisq; naturae humor quidam albicans, tenuis, aquosus & crudus, lactis emulus, gignatur. Verum autem lac, quod non modo album; sed etiam dulce, modice crassum, pingue, & nutritivum, in ipsis generari non videtur: sed propter defectum glandularum, quibus vis illa relaxata contumeliam infidet.

VII.

An mammae virorum planè glandulis sint orbatæ? Ocularis inspectio docet, mammae viriles tantum ex cuticula, cute, papillis & pinguedine contextas esse: glandulosis autem corporibus lactificantibus destituti. Objicies, mammae tamen in quibusdam viris, non secus, atq; in mulieribus, promovere, pendulisq; esse. Respondemus, causam non glandulas, sed copiosam pinguedinem esse. Hac enim in obesiss corporibus magis circa papillas, quam alibi in pectore, luxuriare solet. In faminis autem glandulas habent, easq; candidissimas, multis vasis intertextas. Vnde & nutrimentum earum, & quod superest in nutritione, albicit: teste Avicenna l. 3. can. fen. 12. tract. 1. c. 1. Similes enim ratione assimilationis esse dicit hepati. Quemadmodum enim hepar suum nutrimentum sibi in colore & temperaturā associare studet, albūmg, chylum rubificat & in sanguinem mutat: ita glandulae mammarum rubrum sanguinem albificant, & in lac convertunt: ut eo infans noviter natus nutritur, usq; quod fortior evadat, & cibum solidiorem concoquere possit. Avicenna ibidem.

VIII.

Sitne diaphragma membrana potius quam musculus: an partim mēbrana, partim musculus? Particula hec varias sortita est appellationes. Hippocrates eā ubiq; & p̄eras appellat: uti videre est aph. 18. f. 4. aph. 18. f. 6. aph. 54. f. 7. in Coacis prænot. l. i. Epid. f. 4. in prognost. l. de vet. Med. l. περὶ ἀντομῶν. l. de oss. nat. & alibi sapient. Putat autem lib. de morbo sacro, nomen hoc habere τὴν τύχην κατηγόρον, καὶ τὴν νόημα: τῷ δὲ οὐτισμῷ, εἰδῇ τὴν φύσην. Ideoq; πάτερ,

per se, frustra eo insigniri. Neq; enim apparere, quam vim habeat
ad sapientum & intelligendum. Cerebrum enim intelligentiae ac
prudentiae internuncium & interpretem esse. Diaphragma autem
tantum sapere & intelligere, quantum auricula cordis audiunt, b.
e. nihil. Aristoteles Hippocrati subscriptit l.3. de part. an. cap. 10.
φέρειν, inquit, appellantur, οὐ μόνοι τι τοι φέρειν, quasi participes
sint prudentie. At qui nullatenus participes sunt. Sic autem nomi-
nantur, quid vicine sint ipsis, que vim illam obtinent: (cordi enim
pretenduntur) & quia inflammata continuo mentem sensumque
perturbant. Idem Aristoteles septum passim διάφραγμα, quasi zonam
per medium cingentem, nuncupat: ut ex loco alleg. & l.1. hist. an.
c. 17. liquet. Reperitur & ὑπὸ ζώου, zona succingens, & περὶ ζώου,
circumcingens, ἀπὸ τῆς ζωρύγνης ζωρύγνην, ἀπὸ τῆς διαφράγματος, ἀπὸ τῆς
secernendo, primus appellavit. Causam reddit Aristot. l.3: part. an. c. 10. Est
enim instar parietum & sepis, sedem cordis, tanquam partis nobilio-
ris, ab ignobilioribus, que in abdomine contentae, dirimentis: ne
exhalatione cibi & caloris adventitii copiā facile occupetur. Quod
nomen fortè mutuatus est ab Hippocrate, quil, de virg. morb.
non quidem voce διαφράγματος: attamen διαφράγματος utitur. Rufus
Ephes. l.1. de hum. corp. part. appell. c. 9. inter septū: Theodo-
rorus Gaza præcordia nominat: quod cordi, ut Aristoteles lo-
quitur, pretendatur: vel quia orificio ventriculi sinistro, quod ve-
teres οἰνοδιανοῦν vocarunt, quemadmodum Galenus tum alibi, tum
principiū l.2. al. fac. c. 24. & l.5. de loc. aff. c. 6. monet, sit contiguū.
Microbius dissepsum: Cornel. Celsus septum transversum di-
cunt: ab officio & situ: quia veluti interjectus paries thoracem ab
abdomine, & organa vitalia à naturalibus dirimit: & quia ab of-
fice sterni per notum harum costarum extrema ad lumborum regionem
fertur: quo nomine ab Hippoc. in Coat. prænot. διάφραγμα nuncupat.
Quæritur ergo, an membrana sit, an musculus, an pars im-
membrana, partim musculus? Plinius hanc partem videtur in
membranarum albō habere. Sic enim illē l.11. hist. nat. c. 37. Exta
homini ab inferiore viscerum parte separantur membranis, que
præcordia dicuntur: quia cordi pretenduntur: quod Graci appella-
verunt φέρειν. Huic refertur accepta subtilitas mentis: idēo nulla ei-
st:

est caro: sed nervosa exilitas. Aristoteles l.3. part.an.c.10. partim
musculum, partim membranam facit. Est enim, inquit, septū costis
annexū parte sui carnosore validiorēq; mediā autē constat mem-
branā exiliōri. Et l.1. hist. an.c.17. scribit, cinctū costis, & subcar-
tilagineis, & spine annexum esse: parte mediā tenuē, membraneāq;
exilitate contextum. Nos cum Gal.l.5. loc. aff. 4. l.5. adm. an. 5.
& 8. l. de diss. musc. c.23. l. de caus. respir. & l.3 adm. anat. c.2. &
Theopholo l.3. de huma corp. fabr. c.18. septum musculum esse
volumus. Nam & formam musculi habet, carnem fibram: & of-
ficio musculi fungitur, cum ab omnibus medendi artificibus inter
organā motū thoracis & respirationi servientia recensetur. Eo
enīm inflammato, aut alio tumore detento, presso item, vulnerato,
aliter ve affecto, respirationem ledi comperimus. Quæ illius sub-
stantia pro membranā ab Aristotele habetur, membrana non est, sed
tendo: teste Galeno l.5. adm. anat. 5. & 8. Membranas enim pecu-
culares habet duas: unam inferiorem, à peritoneo: alterā superio-
rem, à pleurā ortam: sic codē docente l.7. us. part. c.21. Quod si pro-
pter tendinosam substantiam membrana statui deberet, musculi
quog; abdominis obliqui externi atq; interni, itēmg; transversi,
qui ampliis admodū tendinibus sunt prediti, nec nō & is, qui in ti-
biā anterius inseritur, suog; latissimo redine, quo major in corpore
non habetur, instar cutis femoris musculos posteriores circumdat,
membrana dicendi forent. I X.

Recte ne Plato & Aristoteles usum diaphragmatis expli-
cārint? Galenus l.s. loc. aff. c. 4. scribit, Platōnem putāsse, dia-
phragma hunc usum habere, ut irascibilem anima vim in corde co-
tentam ab appetitivā, que in hepate residet, distinguat: propterea
primus illi diaφράγμα & nomen imposuit; quamvis, ut idem Ga-
lenus ibid. refert, veteres imitatus etiam ἀερὸν vocabulo usus sit.
Aristoteles quid senserit, ex precedenti problemate liquet. Verū
Galenus ibidem Aristotelem carpit, quod primariū illius officium
ignorārit. Māgna enim & per quā necessaria actioni deputatū est:
cum respirationis sit ὁράνη: & quidē, ut idem lib. de caus. Respir.
interpretatur, libera, quam in violentā vocat: que scil. placido spi-
randi motu penē est insensibilis. Fibris namq; cōtractis, expirationi:
laxatis, inspirationi servit. Esse autē hujus actionis instrumentū
ex supra:

ex supra dictis patet: quia leso diaphragmate, respiratio statim offenditur. Non esse autem principaliter propterea factū, ut medium ventrem ab imo separaret, impediret, quod minus cor, principum facultatum sedes, à tetricis halitibus, quidculmā expirant, conturbaretur, vel structura ejus declarat. Quippe septa nostri corporis, quaē partes solum a se invicem secernunt, unam eandemq; substantiam habent. Probat hoc corpus falciforme, dextrā cerebri partem à sinistrā sejungens: septum nasi, quod supra osseum: infra cartilagineum, nares discludens: septū cordis ventriculos ejus dirimens: mediastinū pulmones in duas partes dividens. At diaphragma circulos habet duos: unum tendinosum, in medio, tanquam in centro situ: alterum carneum, illum undiquaque ambientem: anteriorū sterno & costis spurijs: posteriorū supremis lumborum vertebris duobus validissimis ligamentis annexum. Mirabilis insuper formā donatum est, ut pisces, quem Rajam vocant, referat. Dixit quoque præterea est in structurā & actione. Nam duas habet venas à truncō vena cavea, phrenicas dictas: duas arterias ab arteria magnā: duos nervos ab insimis cervicis vertebris: duas membranas, superiorē à pleurā: inferiorem à peritoneo: duos circulos, carneum & tendinosum: duo foramina, dextrum pro ascensu vena cavea, & sinistrum pro descensu aosophagi ad ventriculum: duo ligamenta superioribus lumborum vertebris inserta: duplē actionem, inspirationem & expirationem. Ex quibus per spicium est, diaphragma ad majus & nobilius aliquod opus, quam ad simplicem & nudam vitalium ac naturalium viscerum direptionem conditum est. Ne tamen Platonis & Aristotelis opinio plane rejici videatur, distinguimus inter primarium & secundarium usum. Primarius est, inservire respirationi libera: test Galeno loc. citatis: nimirū 1. de caus. resp. l. 5. adm. an. 5. & 8. l. 8. adm. an. 2. & l. 5. loc. aff. 4. Propterea scribit Averroës, Galeno, primo hujus usus inventor, gratias esse agendas. Secundarius est triplex. Primus qui à Platone in Timaeo & Aristotele l. 3. part. an. c. 10. expositus, & modo declaratus. Secundus hypochondria ventilare instar flabelli: quo nomine Hippocrates illud l. 1. de morb. mul. διαπνεύση κατερχόμενο, respiratorum imi ventris appellat. Tertius faciūnū excretionem: authore Galeno l. 5. us. part. c. 15. l. 7. us. part. c. 21. & l. 2. de mot. muscul. cap. 9. Comprimentibus enim musculis abdominis, facies sursum protrudi possent, nisi diaphragma deorsum propelleret.


F I N I S.

01 A 6570



R

b/17



Farbkarte #113

B.I.G.

